Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini

Procurator Generalis ordinis Predicatorum EE. VV. reuerenter exponit, quod
cum hoc anno die 3. Maii vacaret officium Prioris Conuentus S. Sabinę de
Vrbe prouintię Lombardię eiusdem ordinis, mox die 12 eiusdem mensis ibidem
unanimiter electus fuit in Priorem P. Mag. fr. Vincentius de Venetiis, ac
[illegible] postulati PP. Mag. fr. Thomas Bona de Brixia, & fr. Angelus Maria
de Ouada; prius quam vero P. Mag. fr. Iacobus Philippus Polinus Lombardię Pro-
uincialis tunc in Vrbe præsens hanc electionem confirmaret, superuenit hinc scru-
tinium alterius electionis facte in Conuentu Regiensi S. Dominici in personam
d. P. fr. Vincentii de Venetiis, sic quod Magister ordinis mandauit Prouinciali,
quod hunc electum confirmaret pro Conuentu Regiensi, ac non pro Conuentu
S. Sabinę; ita factum est, & Mag. Generalis lacerauit scrutinium electionis
& postulationis facte 12 Maii, in Conuentu S. Sabinę, ac 10 Iunii scripto iniun-
xit Patri Vicario S. Sabinę, quod PP. Vocalibus notificaret vacantiam illius Prio-
ratus; paruit ille, & tribus Vocalibus secum in dicto Conuentu commorantibus
necnon reliquis tribus in Vicariatu, ac Parochia S. Nicolai de præfectis in
Regione Campi Martii residentibus induxit nouam electionem die 20 Iunii mane
circa horam 13 aut 14 celebrandam.

Verum præfixa die, & hora dum e S. Nicolao expectabantur tres
Vocales (quibuscum & Prouincialis Lombardię ibidem degebat) horum loco pro-
uenit ad Vicarium S. Sabinę epistola manu, & nomine Socii eiusdem Prouincia-
lis exarata, sed (ut fertur, & ex stilo conuincitur) ab ipso Prouinciali dictata
huius tenoris.

Dicunt hi PP. Vocales se nescire, quam ob causam electio canonica, rite &
legitime ab ipsis facta (nempe in Personam P. Mag. fr. Vincentii de Venetiis) non
debebat manuteneri, cum doceant Sacri Canones, quod electio sit libertatis con-
firmatio autem necessitatis, quod quod ipsi pro nunc sunt impediti, neque placet eis
locus, & tempus. Cum hoc P. Vestram ex corde saluto, meque, & socios suis
orationibus commendo; ex Sancto Nicolao hac die Iunii. fr. Antonius de Co-
gnola Socius.

His visis Mag. ordinis eadem die 20 Iunii sub vesperam, sua utens supre-
ma authoritate, Priorem Conuentus S. Sabinę instituit P. M. f. Mauritium
Masinium de Bosco, qui iam antea fuerat electus Prior sui Conuentus Sancte
in Bosco.

Porro aduersus hanc institutionem dictus Prouincialis Lombardię reclama-
uit, facto recursu ad Sanctiss. D. N. cui exposuit, huiusmodi institutionem
non subsistere, eo quod Mag. ordinis nequeat Priores instituere, nisi in casu
deuolutionis; item quod hęc institutio præiudicium inferat.

Primo electoribus, quibus ex præscripto
Sac. Canonum & Concilii Trid. competit ius eligendi Priorem, & per constitutiones
ordinis debetur eisdem integer mensis, quo demum elapso, & non ante, debet
fieri prouisio a Superiorem.

V. etiam Iuri quesito ipsius electi, & postulati [illegible] electio-
nis [illegible] Prouincialis, ad cuius officium spectat [illegible]

Quarto Iure communi illius Religionis, in qua ubique libera electio Prioris viget. Quinto denique Privilegiis Apostolicis, specialiter Provinciae Lombardiae indultis per Summos Pontifices Alexandrum VI Clementem VII Paulum III et alios, atque in specie ipsi Conventui S. Sabinae per San. mem. Pium V.

Cum ergo praesens negotium a Sanctiss. D. N. ad hanc Sac. Congregationem fuerit remissum, Procurator Generalis, qui supra EE. VV. repraesentat, in hac Provinciali instantia manifeste confundi iura, cum longe aliud sit providere Conventui de Priore per suffragia vocalium, qui quando intra mensem negligunt eligere, ius ipsorum devolvitur ad superiorem; aliud vero providere Conventui per Magistrum Ordinis vi et ex suprema auctoritate sua; Nunc autem non versamur in primo casu, sed agitur de secundo, in quo debet de iustitia manuteneri Magistri Generalis officium, et auctoritas, quam illi tribuunt, tum Bullae Pontificiae V. V. EE. originaliter exhibitae, tum omnes Constitutiones, quas profitemur. Unde hac auctoritate potuerunt, et usi sunt praedecessores Magistri Generales illius, quoties ipsis videbatur in Domino expedire, nec minus eadem uti potuit, et usus fuit modernus Ordinis Magister Generalis, utpote fundata in clara littera, et glosa Constitutionum, quae sic habent.

Dist. 1. Cap. 15 de Professione text. 1. Litt. F. Pro illo Magistro, vel alteri nomine eius sit professio, et promittitur obedientia, ut unitas Ordinis, et professionis servetur, quae ab unitate unius capitis, cui omnes tenemur obedire, dependet, qui est proprius, et immediatus Praelatus omnium fratrum, et Conventuum totius Ordinis, et potest omnes Praelatos, et officiales eiusdem Ordinis, instituere et destituere et eorum officia et auctoritates limitare, et eidem quae fratres tenentur sibi devote, et humiliter obedire, ut patet in Privilegio, quod dictum Mare magnum Alexandri IV Clementis IV Bonifacii VIII et Clementis VII Benedicti VI Gregorii XI Martini V Eugenii IV Sixti IV ubi omnia praedicta expresse continentur. Haec ibi.

Item Dist. 2. Cap. 5 text. 8 Litt. H. Magister Ordinis per privilegia Bonifacii VIII et Clementis VII potest omnes Priores Provinciales et Conventuales et alios quoscunque officiales dicti Ordinis, ac Priorissas Monasteriorum in dicto Ordine et per Sedem Apostolicam, vel per quoscunque et quavis auctoritate deputatos, quoties sibi videbitur, revocare, et a suis officiis removere etiam si eis per Sedem Apostolicam fuisset concessum quod a suis Praelationibus, vel officiis removeri non possint, et loco ipsorum alios vel alias substituere, ac officia ipsa limitare, ac in Curia Romana Procuratorem instituere, et institutum ab ipso officio removere, quoties sibi et suis successoribus videbitur expedire. Haec ibi.

Rursus Cap. dist. Cap. 4 text. 5 Litt. F. Secundum Privilegia Apostolica Magister Ordinis, postquam fuerit electus, eo ipso curam animarum fratrum omnium ipsius Ordinis plenarie habet, et iurisdictionem gerit, ipsos quoque fratres auctoritate propria ligare et absolvere, necnon in eodem Ordine ea agere potest, quae ipse, et praefati Ordinis definitores, iuxta Constitutiones eiusdem Ordinis secundum Deum viderint expedire; tenenturque omnes fratres sibi devote, et humiliter secundum Regulam, et Consti[tutiones] obedire, potestque illos ab omnibus officiis removere. Haec ibi.

...rangebantur ad ...

Amplius ead. dist. cap. 8 text. 9 litt. K ille dicitur ad divisionem ordinis laborare, qui verbo vel facto, vel per personas extra obedientiam nostri ordinis constitutas mutationem quærit generalis status nostri ordinis, et conventus ab obedientia Magistri ordinis subtrahere, cum unitas ordinis ex unitate unius Professionis dependeat, qua ex solemni voto tenentur omnes fratres uni Generali Magistro in his quæ secundum regulam, et constitutiones sunt, obedire, hæc ibi.

Quæ ne ullo abusu, aut tergiversatione eludi possint, iterum Religioni solemniter in memoriam revocata sunt per Generale Capitulum Romæ anno 1656 celebratum, cuius hæc leguntur primò declaratio: Regularis disciplinæ instauratio (quæ huius nostri Capituli præcipuus est scopus) maxime accersenda videtur ex egregia nostræ Professionis formula, qua expresse Deo, Beatissimæ Virgini, B. Dominico, et Magistro ordinis puram obedientiam promittimus, cui deinde religiosa solemnia voto accessoria connexa subintelliguntur. Proinde cum unius obedientiæ relaxatio, seu (quod idem est) auctoritatis Magistri ordinis convulsio, ipsum nostræ Professionis fundamentum evertat, decrevimus eliminandas ab ordine nostro cavillas omnes, interpretationes, et effugia, quæ ad enervandam parendi obligationem, ac eludendas constitutiones, ad elidenda supremi, et unici capitis nostri mandata per nimis subtiliter interdum excogitantur. Ideoque declaramus simpliciter ad litteram standum esse denuo verborum, quibus sacræ Constitutiones nostræ dist. 1 cap. 15 de profess. text. 4 litt. F. item dist. 2 cap. 3 de electione Prioris Provincialis text. 8 litt. H et cap. 4 de electione Magistri ordinis text. 5 litt. F. auctoritatem Generalis Magistri in ordine nostro diffiniunt, fundant, stabiliunt. hæc ibi.

Neque ad rem faciunt, quæ opposuit Provincialis Lombardiæ contra huius auctoritatis usum in institutione Modelani Prioris apud S. Sabinam.

Non primum, quia ipsemet Provincialis non ignorabat, in ordine nostro nullum omnino ius acquiri vel electo per electionem quantumcunque unanimem, ut declaratur in Constitutione dist. 2 cap. 2 text. 3 litt. L. proinde multo minus acquiritur ius postulato, neque idem deducitur munimine ex concessione Alexandri IV.

Et in ordine Prædicatorum declaravit Capitulum Generale Papiæ celebratum anno 1501 Prælaturas, sive fratrum, sive sororum esse simplicia officia, et onera gravia, et nullo pacto beneficia, quæ quidem ad voluntatem superiorum possunt semper disponi.

Non secundum, quia Magister ordinis utens iure suo a Pontificibus, et ordinis constitutionibus sibi concesso, nemini facit iniuriam, neque canones, aut Concilium Trid. in illud revocant, sed solam præscribunt servandam in electione, quandocunque, et ubicunque ea vocalibus permittitur.

Non tertium, quia de iure et praxi Magister ordinis concurrit cum Provincialibus in omni electione, seu cassanda, seu confirmanda, ut potè non minus, ac ipsi Prælatus immediatus. insuper potest ad se revocare scrutinia, inhibendo cuivis Prælato inferiori, ne electum casset, aut confirmet.

Non quartum, quia Religio in suis Capitulis generalibus agnovit, et agnoscit in suo Magistro Generali ius instituendi, destituendi, et consequenter præveniendi suffragia electorum quoties sibi in Domino expedire videbitur.

Non quintum, quia quando Summi Pontifices indulserunt aliqui[illegible] [illegible] ex ala d[illegible]

ula

on

W

Provinciis, Conventibus, Monasteriis, Collegiis & non minuerunt auctoritatem Ma-
gistri ordinis, cum id in Bullis suis, non intendant, nec exprimant, quinimo anno
1651 in simili oppositione Provincialis Lombardie, S. Congregatio die 22 Julij, his
ce non obstan: declaravit, & decrevit, expedire, quod auctoritas Generalis sustineatur ad
servandam ordinis unitatem, & obedientiam erga Sedem Apostolicam, ut in Constitu-
tionibus ordinis. & tandem quid quid sit de Privilegiis Provincie Lombardie ab
opponente praetensis, his non solum in genere, sed in specie, seu nominatim derogar-
runt Clemens VII anno 1532 die 22 Junij, Pontificatus sui nono. Paulus III an-
no 1540 die 10 Januarii Pontificatus sui sexto, & anno 1543 die 27 octobris Pon-
tificatus sui nono, Julius III anno 1553 die 15 Septembris Pontificatus sui quar-
to Gregorius XIII anno 1572 die 23 Septembris, iterum anno 1580 die 27
Junij Paulus V anno 1610 die 28 Septembris, anno 1612 die 4 Augusti & 1613
die 4 Septembris, Urbanus VIII anno 1629 die 21 Julij & Innocentius X an-
no 1650 die 7 Julij, quorum singulorum Brevia originalia fuerunt exhibita
EE. VV. in praesenti Causa.

Proinde Eisdem humillime supplicat praefatus Procurator Generalis ordinis, quatenus
dignentur suo decreto palam declarare, quod supra memoratas a Magistro Generali
facta institutio Tituli Prioris pro Conventu S. Sabine in personam dicti P. Mag.
Fr. Mauritij Masini, rite, firme, ac valide subsistat ex legitima, ac bene fundata
instituentis auctoritate.

Quas Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consulta-
tionibus Episcoporum, & Regularium praeposita, ad quam Sanctiss.
D. N. ante scriptas preces remisit, attentis narratis, & saepius auditis
etiam in contradictorio Partibus, visisque & diligenter examinatis or-
dinis huiusmodi Constitutionibus, actis praefatorum Capitulorum Gene-
ralium, Constitutionibus, & Literis Apostolicis supradictis, aliisque scrip-
turis, & instrumentis hinc inde exhibitis, referente Eminentiss. Palloto,
censuit, declaravit, ac decrevit, sustinendam esse authoritatem Magistri
Generalis eiusdem ordinis, & in eius manutentionem in casu de quo agi-
tur sustineri debere institutionem ab ipso, ut praefertur, factam Prioris Con-
ventus S. Sabine de Urbe in personam fratris Mauritij Masini de Bosco,
prout harum vigore declarat, ac decernit, & ita exequi, servari que mandat
ac praecipit; in contrarium allatis, ceterisque non obstantibus quibuscunque.
Rome 23 Septembris 1667 = M. Card. Ginettus = Loco † sigilli. E. Episc.
Camerinen. Secre. Rome ex Typographia Rev. Camere Apostolice 1668

...rrigebantur ad in